

esse machinam, quæ unico pondere tota movetur, alterâ, quæ perpetuo artificis concursu conservanda est. Resp. Hoc simile Deo non esse applicandum. Si enim respexeris sapientiam Dei, perinde erit, sive mediate per causas secundas, sive immediate mundum conservet, ordo & leges in utroque modo locum inveniunt.

Denique in Celeb. P. de Tournemine sententia, libertas humana salva & illibata conservatur, in ea enim non solum vis volendi, sed etiam vis corpus movendi animæ adscribitur. Ad libertatem enim humanam in foro civili requiritur, a) ut anima aliquid factum decernat, b) ut illa corpus & membra ad id efficiendum moveat. V. g. Anima furis non solum decernit furtum, sed etiam manum movet ad apprehendendum. Punitur, quia volendo & efficiendo furtum patravit. Homo, cujus anima saltem furari voluit, manum vero ad furandum non movit, non punitur in foro civili, quia cogitatio mansit occulta. Excipiunt, anima determinat factum, quod corpus peragit. Respondeo. Illa determinatio est saltem volitio, quia anima non influit in corpus. Deus, qui corpus formavit, ex Hypothesi H. Pr. determinat corpus ad actiones. Super sunt plura his addenda, quæ vero pagina non capit, & quæ scopum meum excedunt. Hæc præmittere volui lectionibus, in quibus creationem mundi & hominum juxta sanctam revelationem proponere decrevi. Notum est, plures

res